

buit libertatem, commissa extinguit peccata, vitia prohibet futura, disponit ad virtutes, armat contra diaboli tentationes, mentem ad deum eleuat, orationi fiducia præstat excitat sciam Dei, conformat Christo duci, celestia pandit arcana, meretur præmia sempiterna. Hi duodecim fructus ligni vitæ, quos restituit ieiunium, quoniam eos abstulit ligni vitæ edulium. Conferret itaq; primo ieiunium corpori sanitate per gulae superfluitatem sauciato, sicut ait Hierony. in epistola ad Iouinianu: Legimus inquit quosdam morbo articulari, & podagra humoribus laborantes, procriptione bonorum ad simplicem mensam, & pauperes cibos redactos conualuisse, caruerunt enim sollicitudine dispensandæ domus, & epularum largitate, quæ & corpus frangit, & animum. Et Alanus in de arte prædicationis cap. 36. Ieiunium inquit, ad medicinam corporis, & animæ valet. Conseruat enim corpus à morbo, & animam à peccato. Cum hac medicina celestis prophetica naturalis concordat. Donat secundo libertatem. Nisi enim caro dometur ieiunio insolescit, & menti dominando, eam sibi subicit. Ideo ut mentis libertatem seruaret, ait apostolus 1. Cor. 9. Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo. Deniq; multis oportet seruire, qui corpori suo seruit, quoniam cum natura minimis contentetur. de consol. profa. 5. nihil gastrimargie satis esse potest. Ab innumeris ergo securis liberat, qui repulsa gula moderato ieiunio vitur. Ad quod horatur dominus Luc. 21. Videte ne grauentur corda vestra crapula, & ebrietate, & curis huius vitæ. Liberat quoque ab inquietissimo deliciarum appetitu, sicut Leo ait in sermone de quadragesima. Utis quidem continentia, quæ parco aflueta victu deliciarum cohibet appetitum. Extinguit ieiunium tertio peccata tanquam opus satisfactionis precipuum. De quo beatus Bern. serm. de quadragesima, qui incipit: Quia ieiunii. Fratres inquit, pro eo, quod ab ipsis quoque licitis abstinemus, ea nobis quæ

prius commissimus, illicita condonantur. Quid verò est condonari commissis, nisi ieiunio breui, ieiunia redimi sepe eterna. Gehennam quoque meruimus, ubi nullus vnquam cibus est, consolatio nulla, terminus nullus, ubi guttam aquæ diues postulat, & accipere non meretur. Bonum est ergo, & salutare ieiunium, quo redimuntur æterna supplicia, dum redimuntur hoc modo peccata. Sic Niniuitæ triduo ieiunio peccatorum suorum veniam merere. Ionæ. 3. Ad hoc quoque dominus ipse in deserto ieiunauit, ut cibus primigeni Adam in paradiso compensaret. De quo beatus Ambrosius super Lucam dicit: In deserto esurit ut cibus primigeni hominis, quem præuaricando gustauerat, ieiunio domini solueretur. Nostro periculo Adam scientiæ boni, & mali famem soluit. Nostro emolimento tamē iste suscepit. Hinc ad ieiunia hortatur nos dominus per prophetam: Conuertimini ait, ad me in toto corde vestro in ieiunio, in planctu, & fletu Ierem. 2.

Prohibet quarto ieiunium futura vitia, & peccata, de quo in præfatione dicitur: Qui corporali ieiunio vitia cum primis. Caro namque concupiscit aduersus spiritum, ut ait apostolus ad Gal. 5. Et ideo ut ait: Bernar. serm. de triplici modo orationis: Ipsi gestamus laqueum nostrum nobiscum, ubique proprium circumferimus inimicum carnem hanc, loquor de peccato natam, in peccato nutritam, corruptam nimis ipsa origine, multo amplius praua consuetudine vitiatam. Hinc est quod tam acriter aduersus spiritum concupiscit caro, quod assidue murmurat, & impatiens est disciplina, quod illicita suggerit, quod nec rationi obtemperat, nec in hibetur villo timore. Hæc autem caro quanto fortior est & palia delicatius, tanto lasciuior est, & plus rebellans, pluresque motus illicitos excitat contrarios rationi, sicut scriptum est: Qui nutrit seruum suum delicate, sentiet eum contumacem Pro verb. 29. Hanc ergo castigat ieiunium, & micerat ut minus sit fortis, sicque minus

Ieiunii  
prohibet  
futura  
vitia.